



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 14. Joannis Baptistæ Castelli responsum ad orationem Gropperi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul XVI.

A.C 1551

§. XIV.

*Joannis Baptistæ Castelli responsum
ad orationem Gropperi.*

Sarpinus l. c. **H**æc oratio Synodi Præsidibus haud parum displicuit; verebantur enim, ne hæc disciplina, quam Gropperus commendare, atque introducere nitebatur, si semel prævaleret, plus iusto Curiae Romanæ juribus derogaret, quapropter Joannes Baptista Castellus Bononiensis in sequenti Congregatione ad Gropperi sermonem respondere jubebatur. Paruit ille, orationem suam a priscae Ecclesiae usibus, eorumque laudibus ita exorsus, ut tamen in veteri illorum temporum regimine Ecclesiastico graviores adhuc defectus notaret. Postea, orationem suam his verbis prosequebatur: *Illi, qui præconio suo Synodalia judicia extollunt, in eorum defectus vix unquam inspexerunt; nempe, ob causarum multitudinem, in iisdem dijudicandis moram, in diligenter examinandis obstacula, in tot Judicibus informandis difficultates, Et a factionibus inter partes tumultus, propter quos, cum parum prospere succederent, credibile est, tum illa judicia intermissa, tum confusione huic vitandæ forum, Et officiales introductos. Negari quidem non potest, non deesse etiam in his, quæ requirant emendationem: Sed hoc*

hoc faciendum, neque tamen illa revocanda, quæ, quod intolerabilia essent, abrogata sunt. In Apellationibus consueverunt per intermedios judices procedere, neque his præteritis ad supremum transilire. Id idem sublatum, quia Provinciarum, & Regnorum capita Ecclesiam tyrannide premebant; & remedium maxime opportunum repertum, causarum, negotiorumque cognitionem Romam referre. Id equidem fateor suis non vacare incommodis, ac in primis temporis, & pecuniæ jactura: Sed quæ oppressione multo sunt tolerabiliora. Si quis pristinum judiciorum statum restituat, is, dum uni malo medetur, multa, & horum quodque majus graviusque concitabit. In primis vero considerandum, eandem regiminis rationem in republica non omnibus temporibus accomodam, sed ut temporum sunt inclinationes, ita variandus gubernationis modus: vetus regendæ Ecclesiæ forma conducibilis non foret, nisi Ecclesiæ quoque status antiquum obtineat. Tota via errabit, qui, quod libertatem eam, quæ datur parvulis, edendi, bibendi quod lubet, quocumque tempore, ad valetudinem, corpusque firmandum, salutarem deprehenderit, & viri annis, ac ætate confecti senectutem ad eundem modum gubernandam putet. Ecclesiæ olim fuerunt parvæ, Ethnicis circumseptæ, & quia hosti vicinæ, hoc inter se magis unitæ, & nunc, & amplæ, & sine adversario, qui

Sæcul. XVI.

A.C. 1551.

Sæc. XVI. A.C. 1551. *qui in via officii contineat. Itaque communia cum negliguntur, necessum est, unus aliquis in eorum curam, ac procurationem incumbat. Si unaquæque Provincia suas causas cognosceret, tanta intra paucos annos varietas exoriretur, ut pugnare inter se, neque ejusdem esse fidei, ac religionis cernerentur. Pontifices Romani multas Ecclesiastici regiminis partes, quamdiu omnia rite, atque ordine administrabantur, sibi haud quaquam vendicarunt; administrationem vero ab aliis neglectam, aut male procuratam sibi sumpserunt, nec e succedentibus Pontificibus defuerunt multi, & summa vitæ Santimonia, & egregia erga Ecclesiæ bonum voluntate, qui ea ipsa in pristinam formam restituisent, nisi prævidissent, iisdem corruptelis recurrentibus, vix ullam subesse spem rectæ administrationis, quam ob rem ad conservandam Ecclesiæ unitatem, res eo, quo nunc sunt, statu relinquendæ.*

§. XV.

Statuta circa Appellationes.

Dupin. Bill. des Aut. Eccl. tom. 15. p. 101. Sarpinus l. 4. p. 316. & 317. **V**erum nec hæc sententia, quamvis Præsidibus pergrata accideret, placuit Episcopis, minus vero Italiæ Præfulibus; licet enim summi Pontificis auctoritatem salvam omnino cuperent, nihilominus ægre ferebant, quod ipsi minori loco haberentur, solusque Papa cuncta præstare videretur, hinc non nihil